# DE HEPATITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD SUMMOS IN...

Domenico Pozzi

DE

# HEPATITIDE

*DISSERTATIO INAUGURALIS*

QUAM

AD SUMMOS IN MEDICINA

HONORES OBTINENDOS PUBLICE LEGIT

IN C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

DOMINICUS POZZI

VULTURRENUS

PATAVII

EX TYPIS VALENTINI CRESCINII

MDCCCXXX

Tempus in medicina nullum recordatur, quo Hepar maximi in animali oeconomia momenti viscus non crederetur; atque a primis usque hujusce scientiae incunabulis, quum intellectuales ideae a materiei congerie et mole potius, quam a rerum dispositione et actione movebantur, evolvebantur, tunc quoque illud uti sanguificationis et circulationis fons retinabatur. Quapropter in morbis producendis et servandis accusabatur, utpote quia ab illo vapores morbifici eructabantur, qui totum ingruebant organismum. Quamvis hoc pacto nostris hisce diebus non excogitetur, non minus tamen functiones ejus librantur, neque minus ejus in universum corpus influxus consideratur. Excogitantes Physiologi as-

sidua diligentia, repetitis observationibus, caeata demum experientia quanti illius faciendum in digestionis opere detexerunt, ostenderunt. Ex hoc quibusdam videbitur, morbos ejus Medicis penitus patere, quod profecto negatur. Chronici speciatim morbi facili negotio aliis cum affectionibus confunduntur, aut tunc tantum dignoscuntur, quum eorum exitus vitare impossibile admodum evadat. Pervetustum est, neque adhuc componitur lamentum illud in Medicina, defectus scilicet historiae exactae morborum qui hoc viscus corripiunt. Broussais diligens nimium id quod de Gastritida detexit, propriam theoriam adeo blanditus est ut secundariam semper hepatis inflammationem, aut sociam illius judicaret. Clarissimus Portal multa quidem hoc da argumento scripsit, pharmacorum agmen pene infinitum ejus implet volumen; quid vero utilitatis quoad rectam diagnosim, hauriri debeat, nescimus. Et peracuta hepatis inflammatio aliquoties ab aliis morbis distincta minime fuit; ex quo mihi videtur mirum omne tolli si chronicas affectiones non animadverterunt aut confunderunt. *De Hepatitide* interim aliqua dicere selegi ut dum meum adimplere munus inquiro, exercitationis non desit utilitas.

Sub Hepatitidis nomine, hepatis inflammatio discriminatur. Acutum, nunc chronicum peragit decursum. Non infrequens morbus est. Endemicus apud Orientales Indos observatur. Aliquando epidemicus occurrit. Si exactae observationes, et pathologica anatomes diligentius perscrutabunt conditionem pathologicam febrium intermittentium legitimarum, quae in lenta hepatis phlogosi sita a nonnullis affirmatur, tunc et apud nostrates endemicus morbus hic dici poterit.

Phaenomena quae morbus istiusmodi offert varia juxta stadia sua passim ab observationibus Practicorum colliguntur, tali pacto recensentur. Primum horror quidam per aegrotantis abdomen discurrit, quem generalis calor insequitur. Facies rubet, oculi micant, aurium bombus habetur, sitis plus minusve ardens est; cutis pleramque arida, urens; ponderis sensus in hypocondrio dextero sentitur; et dolor pungens, gravativus, distrahens etiam insaevit, qui ad claviculam, et scapulam, et collum, et thoracem ejusdem lateris protenditur. Sub tussis insultu quam maxime exasperatur, quae aliunde sicca est, frequens; quum hepatis tumor in diaphragma insurgat et respiratio brevis fit et anxia praecipue in dextero latere; quandoquidem singultus appa-

ret; anorexia, lingua rubra est ad apicem et margines dum in parte media a flavoviridescenti muco coospurcata videtur, nigrescit quandoque; alvus nunc obstipa est, nunc griseas, albas foeces deponit; urinae quaotitate in minus peccant, crocei coloris, et oleosae veluti fluunt; non infrequentes nauseae sunt, et vomitus aeruginosae bilis; plerumque hycterus conspicitur; pulsus frequens, fortis, saepe durus, inaequalis et iotermittens attactui veoit.

Frank et Pinel hepatis inflammationem discriminati insuper sunt prout convexa seu concava hujus visceris pars speciatim detioebatur. Testantur ipsi dolorem punctorium magis et incommodum haberi si convexa superficies correpta sit; dum obtusum magis volunt sin concava ejus facies afficiatur.

Thomas asseveraoter asserit differentias istiusmodi minime pathognomonicos characteres ostendere; atque symptomatum io hoc potius latere quam illo praestantiam a phlogoseos processus in alia viscera diffusione deducit.

Ex hisce tamen phaenomenis minime tuta diagnosis hauritur, atque Sauvages jamdudum observavit hunc morbum facili negotio cum aliis confundi posse. Qua de re propemodum inutile opus censeo symptomata statuere diversa prout inflammatio convexam aut con-

cavam, dexterum lobum aut sinistrum, prout ductus coledocum et cisticum aut biliaria vasa adoriatur.

Cullen statuit acutam hepatis phlogosim in membrana ejus vestienti sedem figere, dum chronicam in parenchymate sitam arbitratur. Haec vero distinctio debilibus admodum argumentis fulcitur.

Hujusce morbi exitus sunt: resolutio, suppuratio, gangroena, aut in chronicum morbum transitus.

Plerumque resolutio habetur; rarior suppuratio occurrit, et eo magis in chronicam phlogosim transitus. Gangroena autem perrara observatur. Quum hepatitidis varietates minime dignoscantur, ita et minime statui potest quilibet exitus hanc potius quam illam morbi formam sequatur.

Si suppuratio morbi finem sistat, a generalibus hujus exitus symptomatibus desumetur, et a tumore fluctuanti sub spuriis costis dexteri lateris; pus enim in convexa facie in majori casuum numero efformari observatum fuit. Visum fuit pus diaphragma erodere et per tracheam sub tussi ejici, aut pectoris cavitatem implere, quo in rerum statu empyematis operationem Morand auscepit, aegrumque ad salutem perduxit. Quandoque

in intestinis abscessus aperitur et cum foecibus mixtum pus evacuatur, aut in ventriculum trajectum per emesim ejicitur. Raro in abdominis cavitate pus effluxisse pathologica anatomes detexit. A nonnullis etiam substentatur pus efformatum iterum a lymphaticis absorptum fuisse. Apud auctores casus leguntur paracentesis peractae quum suppurationis signa prodierant, at tali pacto aegrotantes sanatos fuisse. Pluries vero foetidum ulcus efformatum est sub cujus decursu aegri periere.

Sin etiam resolutio fiat, nihilominus adhaesiones hujus visceris cum peritonaeo enascuntur vel diaphragma versus, vel ventriculum, cum ductibus bilis, et cystifellea ipsa.

Hepatitidis chronicae symptomata habentur a tumore et duritie hypocondrii dexteri, a dolore obtuso, tendenti, fixo, qui sub decubitu in opposito latere adaugetur; pressionis sensus ad diaphragma, respiratio anxia, dyspnoea, anorexia seu fugax appetitus, pallet facies, urinae croceae, densae; hypostaticae; in postremis morbi stadiis oedema ad pedes et crura efformatur, quotidiana denutritio praecipue ad artus superiores, ascites quandoque observatur. Peracutus dolor apud nonnullos aegrotantes insaevit.

Sauvages discrimen statuit quod obstructio-

nem inter et scirrhum interest. Hoc in casu durities major est, oedema ocius apparet, et hectita febris aegrotantem premit. Constrictum sibi cor esse accusat, dyspnoea maxima est; sitis irregularis habetur; saliva amara, viscida expuitur, membrorum pondus adest et lassitudo; alvus plerumque obstipa, cardialgiae frequentes; et sub levissimo attactu dolor valdopere increscit.

Aegrotantem ad ultimum vitae articulum properare a febri vespertina dignoscitur cum pulsu parvo, frequentissimo, a virium dejectione maxima, ab aerysipelacea inflammatione dexteri hypocondrii.

Pujol refert observasse quod quum chronica phlogosis in convexa facie sita sit, dolores acerbiores evadunt, quasi pleuritici; febris semper adest, magisque ad morbos acutos ejus decursus accedit. Sin autem concavam partem inflammatio magis afficiat, obscurior dolor est gastrodynia, et vomitus, singultus, et hycterus nusquam desunt.

A quibusdam forsitan quaestio movebitur, cur hepar a chronica magis quam ab acuta inflammatione deprehendatur, et saepe evenire quod chronica hepatitis in scenam prodeat quin acuta praecesserit. Sat evidens ratio mihi videtur haberi si hujus visceris fabrica

consideratur. Multiplex enim vasorum copia in se circumvoluta dum congestiones facile sinit, irritationem prius parit, quae in diuturnum producta lentam inflammationem inducit. Hoc etiam comprobatur a frequentiori phlogosis exitu, scilicet indurationis, qui plerumque in glandulis omnibus videre est.

Observatum quoque fuit illos qui lenta hepatis inflammatione laborant, inquietos quam maxime, et turbidos, sibique aliisque taedio evadere. Lentus adeo tunc morbus decurrit, ut ne aegrotantes quidem illum animadvertant et tantum prope vitae finem illum dignoscunt. Cystis fellea praecipue in his patitur, et calculis oppleta invenitur.

Quaecumque profecto sit hepatis alienatio in structura sua, quae per anatomem detegitur, haec semper phlogistici processus sistit, non organici vitii, sicuti nonnulli elapsi temporis Medici arbitrabantur. Color, quem hujus visceris substantia offert, multimode variat.

Concretiones nonnumquam, tubercula, voluminis adaucta moles, ejus mollities aut friabilitas non raro medicis sub oculis apparent.

Quum hujusce morbi causae ad trutinam revocentur, propemodum innumerae cognoscuntur. Contusiones, lapsus, vulnera, caeteraque illa quae aliis in partibus phlogosim in-

cendere valent, occurrunt. Persaepe secundaria aliorum viscerum inflammationi vidatur. Atque hoc loco recensendae sunt encephali laesiones, gastritis, dodenitis, peritonitis, pneumonitis et alia. Spirituosorum abusus, emeticorum et drasticorum usus, intensius studium, passiones violentae, effraenis ira, insolatio ad occasionales causas referuntur. Terror, metus, aestuantis corporis repentina perfrigeratio, exanthematis retropulsio, quum sanguinem ad interiora repellant, vehementior circulatio fit, quae magis libera in abdominis cavo perficitur, quum et venarum valvulae ibi desint. A ratione non longe distat hisce in casibus emormesim effici, quae acutam aut lentam inflammationem producere potest.

Hujusce morbi prognosis reservanda semper erit; atque eo magis si de chronica agatur hepatitide quam acuta. In hac enim conveniens curandi methodus a vitalitatis viribus adjuvatur. Dum in chronico morbo, vires vitae enervari videntur et vinci a clandestino et lento processu phlogistico, et rebellis magis cuilibet aptiori methodo evadit. Causis tamen, symptomatibus, vitae generi, statui anamnestico, individui constitutioni et temperamento respectum Medicus habebit, atque ab iis omnibus tutius haurire poterit judicium.

In bujusmodi morbi curatione maxima damna habentur, juxta Thomas sententiam ex eo, quia phlogistica symptomata parum notata et distincta procedunt, etiamsi morbus ad suppurationis exitum citissime vergat. Si omnibus in morbis diaeta austera optime conducit, boc vigente summopere necessaria evadit. Ad sanguinis missiones sedulo binc deveniendum est. *Venae sectio, licet pulsuum ratio id minime exigere videatur instituenda, ac pro morbi violentia repetenda est*, scriptum reliquit illustris P. Frank. Si enim et paullulum consideraretur sanguinis venosi quantitas quam accipit bepar, clare patebit huic beroico deprimenti majori ex parte cura committenda quum functio visceris ipsa, sanationi plurimum obstet. Non enim tantum sanguis detrahendus est ut visceris nutritio imminuatur et vita, sed et actio ejus, quae plerumque augetur, infraenanda est. Individui constitutio, temperamentum, causae, bepatis parencbyma adortum, aut ejus externa membrana, totidem momenta exhibent a quibus hoc artis auxilium moderatur.

Post generales sanguinis missiones et locales faciendae sunt birudinum ope, quae citum afferunt levamen, praesertim si ad haemorrhoidalia vasa adplicentur. Broussais opinatur

hepatitidem debellari debere ingenti hirudinum vi; quis tamen non videt quamlibet gravissimam congestionem, tum maxime si de plethorico individuo agatur, generalem sanguinis depletionem exposcere? Hirudines subsidium non leve offerunt in chronica hepatitide, pluries vices admotae ad hypocondrium nunc, nunc ad sedalia vasa, trium quatuorve dierum libero intervallo. Cucurbitalae ab aliquo commendatae, inutiles nisi noxiae evadunt, quod et de vescicantibus dicendum est. Emplastra emollientia et alvum leniter laxantia ad rem faciunt. Rubefacientia si doloris reliquiae subsistunt aut irritationis, non inaniter in usum trabuntur. Pediluvia et Semicupia eo magis prosunt.

Angli Medici Calomelan et initio morbi praescribunt, Sciarappae simul quo in pharmaco maxime dicunt hoc in morbo fidendum. Monet vero Trotter hoc minime utendum si liquorum spirituosorum abusum, veluti causa morbus recognoscat. Angli tamen sibi putant scirrbi exitum praecavere hoc pacto, aut si hujus initium insurrexerit, tolli. Nullius autem in animo esse, incipientem scirrhum mederi credo quum hujusce affectionis incipientis signa omnino in Medicina desunt.

In indurationis exitu, et chronico morbo

operae pretium existimo mercurialibus uti praeparationibus, quae et externe frixionum forma juvant. Hisce sub circumstantiis, in chronica scilicet hepatitide, potus diluentes, methodus antiphlogistica eadem convenit. Sanguinis missiones generales tantum sunt omittendae, et ad locales potius confugendum. Amara insuper, aquae minerales celebrantur. Etiamsi hydrops superveniat, minime haec methodus obtruncanda est.

Ut vero exitus omnes noxii praepediantur, Medici erit latam methodum antiphlogisticam ab initio morbi adhibere, quae apte ad resolutionis exitum perducit. Accidit enim non raro quod symptomata vehementer adeo non urgeant nec pateant, quam morbi vis et decursus deberent, et trepidantes nimium, sanguinis missionas cohibent. Parum admodum a medicinae scriptoribus tribuitur hujusce morbi curationi, quod una simul convenit cum illorum opinione qui non satis hunc morbum innotescere fatentur.

Difficultates haecce, quae magni nominis auctores vinciunt, eo magis medicinae tyronem terrera debebant. Illis itaque habito respectu si quid exacti parum invenietur, excusationem nihilominus mihi Professores eximii atque Auditores erunt concessuri.

# THESES

## I.

*Naturalem hominis positionem, verticalem esse debere ex anatomia probamus.*

## II.

*Remedia domestica minime contemnenda.*

## III.

*Datur Hernia corneae, sed non confundenda cum procidentia cellulae humoris vitrei.*

## IV.

*In morborum curatione semper habitudini et vitae generi prospiciendum.*

## V.

*Diaetetici errores etiam levissimi in acutorum morborum curatione damnosi evadunt.*

## VI.

*Tartari emitici usus in haemoptysi non noxius.*